✠

EPISTOLA GRATVLATORIA

CAPITVLI ECCLESIÆ

PATRIARCHALIS HISPALENSIS

AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM

INNOCENTIVM XIIJ.

PRO EIVS ASSVMPTIONE.

Beatiſsime Pater.

DELATO ad nos gratiſsimò ſimul, & iucundiſsimo, non tamen inexpectato nuncio, Te, Summi Dei largitate, ac munere, omnibus ad vnum ſuffragijs, ad Petri navis gubernacula regenda evocatum, conſtitutumque, Optime Pater, Eccleſia noſtra Hiſpalenſis Metropolitana, & Patriarchalis adeo gaviſa eſt, eàmque ſingularis exultationis illuſtrem dedit ſignificationem, vt vrbs iſta Hiſpalenſis ampliſsima, quanta, quanta eſt, viſa ſit maximam cepiſſe voluptatem, perceptumque ob Veſtri Deceſſoris amiſsionem, iuſtum mœrorem, non leniviſſe modò, verum etiam omnino abieciſſe. Ea propter nos (quod erat in anteceſſum præſtandum,) ſacris habitis, adhibitiſque precibus, more, inſtitutoque maiorum,

Deo

Deo Optimo Maximo gratias egimus, tantique beneficij summam, vti decet, illi acceptam retulimus: deinde non tàm Beatitudini Vestræ, quàm Vniversæ Ecclesiæ de Summi Pontificatus apice suscepto, animo libentiori magnopere gratulamur: eò vel maximè, quòd Te, Beatissime Pater, ad tantæ maiestatis culmen, vt seriò credimus, Spiritus Sancti aura obstetricante provectum esse, non leviora signa profantur: Tùm, quod à Vestri Decessoris in cœlestem Patriam abitu, quinquagesima die, (numero sane Divinioribus mysterijs consecrato) peracta est in supremum Antistitem designatio, vt ea potissimùm mora interjecta nascerere Pontifex Summus, qua nata est Ecclesia Christiana post Christi eius Sponsi Passionem, & mortem, die scilicet Pentecostes Sacrata, cuius ad gubernacula capessenda præficiebaris: tum etiam præcipuè, quòd eo die in auguratus es Pontifex, quo cœlestis ille Princeps Archangelus Michael (quo sacro, & fausto nomine decoraris) Ecclesiæ Christianæ, vt olim Synagogæ Judaicæ, sese Protectorem, & Patronum, quasi vallum quoddam, & solidum murum contra hostium incursus opposuit, vt quid Tu exinde futurus esses, portenderet, aut edoceret. Nos verò, nostramque Hispalensem Ecclesiam spes erigit non mediocris, à Te in hoc statu, & dignitate Summi Pontificatus Dei Optimi, Maximi clementia collocato, fore ornandam, fovendam, & paterna illa benevolentia cumulandam, qua visus es olim, cum è Lusitania Romam rediens, ac per loca ista iter faciens, illam non incuriosus Spectator perlustrasse, atque amantissimè complexum fuisse: quas faustas, feli-

felicesque horas, paucas tamen, Beatitudini Vestræ in memoriam revocare non piguit, vt hinc conijcere valeat, numquàm ex animis nostris excidisse. Vestræ igitur Beatitudini singularem quendam, ac præcipuum amorem, atque obsequium hoc nomine debere nos fatemur, debitumque vicissim quoque præstabimus, vt Apostolica in nos charitas nova quadam luce resplendeat, vti de eius speramus benignitate. Faxit Deus, vt compositis vndiquecùm summa ipsius laude dissensionum omnium seminibus, optata Ecclesiæ vniversæ tranquillitas restituatur; Quod vt diutiùs possit, fructuosiùsque præstare, longam ipsi Summi Pontificatus vsuram, & Divinorum donorum abundantiam precibus, & sacrificijs nostris assiduè flagitabimus. Dabamus Hispali è nostra Capitulari Aula Ecclesiæ Patriarchalis, & Metropolitanæ. Quarto Idus Junias Anni M.DCC.XXI.

Beatissime Pater.

Post humillima SS. Ped. oscula.

Pro Decano, & Capitulo Almæ Metropolitanæ, & Patriarchalis Ecclesiæ Hispalensis.

Iosephus Antonius Aleman,
Canonicus Secretar.